

SEBASTIANVS SCHERTELIVS EQVES AVGVSTANVS.



Sebastianus in Suevia natus est anno 1495. Is cū domi primas literas didicisset, atq; adolescere cœpisset, Viennam Austriae petiit, atq; artium fundamenta ibidem iecit. in primis uero Latinæ linguae usum didicit. Interea tamen semper militaria quoq; exercitia adiūxit, & Cæsaris castra sequi statuit. Erat enim proceræ staturæ, & membris robustis conspicuus. Prima rudimenta militiæ in bellis Italicis posuit, cum Cæsar Maximilianus Venetos bello premeret. Postea uero cum Carolus Cæsar Gallo resisteret, signa ferre & ordines ducere cœpit. Itaq; cum Franciscus rex Papiæ caperetur, eo prælio interfuit, atq; ob rem fortiter gestam à Cæsare equestri dignitate exornatus fuit anno 1525. Post biennium quoq; cum exercitu Romam petiit, atq; expugnationi & direptioni urbis interfuit, ubi etiam multas opes sibi cōparauit.